



17

18

19

20

21

22

23

24

25

26

27



*Vol. a N. 3.*

*10*

*17374.*

*Q. D. B. V.*

DUBIA  
QUÆDAM PHYSICA  
VEXATA EORUNDEM  
QVE EVOLUTIONEM,

PRÆSIDE  
DN. GEORGIO CHRISTOPH.  
DETHARDINGIO,

PHILOSOPH. & MEDICINÆ DOCTORE, HUJUSQUE  
PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO,

Fratre Germano,

IN ILLUSTRIS AD VARNUM  
ACADEMIÆ

AUDITORIO MAXIMO

D. XII. JUNII A. O. R. MDCCXXXVII.

PUBLICÆ DISQVISITIONI SUBMITTIT

AUCTOR & RESPONDENS

GEORG. AUG. DETHARDING,  
ROSTOCH. MEGAPOLIT.

---

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS JACOBI ADLERİ, SERENISS. PRINCIPIS  
& ACAD. Typographi.



Ex libris

7

ANGLIA  
ANGLO-SAXONIC  
MANUSCRIPTS  
IN THE  
BRITISH LIBRARY  
LONDON  
1990





8

## PRÆFATIO.



E Ventis statuere Physici affolent, quod ab illorum agitatione modica, arbores vegetiores viridioresque evadant, quia terra radicibus adjacens, porosior inde, & ad hauriendum succum nutritium, per truncum & ramos sese diffundentem, apta magis redditur. Idem etiam commodum, nisi me omnia fallunt, habent scientiæ a dubiis doctis exspectandum, ut in profundo hærens veritas prodeat in apricum, & de ignorantia & erroribus aliam post aliam reportet victoriam. Non equidem illis assentior, qui semper dubitant & quærunt, nihil vero certi de re quædam decernere audent, imo etiam eo audaciæ progrediuntur, ut Veritates Universales, omni exceptione majores, & de quibus dubitare turpisimum, in dubium vocandas esse, afferant, ac si nulla esset in

A 2

Scienc-



Scientiis certitudo, sed mera vanitas: Ast, prouti  
Aurum in fodinis hærens, non ante dici potest Obry-  
zum, quam lapis lydius & ignis doctrinasticus acce-  
serint, & pretium ejus determinaverint; ita admitten-  
da etiam erunt, me quidem judice, circa doctrinas,  
tentamina, quo clare & perspicue unicuique constet,  
quid veri in se contineant, quid vero speciosi. Ex-  
seruerunt sese commoda, a tali scrutinio in scientias  
redundantia, vel maxime ab illo tempore, ex quo Ido-  
lum quondam dissentium, Authoritas nempe Docen-  
tium, conculcatum fuit, ira, ut nemo hodie facile  
effato illi calculum suum adjiciat: melius esse, ma-  
gno cum Philosopho errare, quam ab illo, recte sen-  
tiendo, dissentire. Aureæ hujus sentiendi & dissen-  
tiendi libertatis magnus hodie est in Republica Lite-  
raria usus, multarumque Veritatum fertilis scaturi-  
go. Dolendum modo, abusum etiam hic, umbræ in-  
star corpus sequentis, usus legitimi affectatorem esse,  
comitemque indivulsum. Quoties enim obvenientia  
objecta lanci rationis minus accurate appenduntur,  
& dissentientes omnes demonstrationes, quales etiam  
fuerint, rejicit, Disputationes & Controversiæ haud  
raro acierum conflictibus sunt similes, quæ primo in-  
structis ordinibus procedere solent, sed quando dein-  
de in pugnam prorumpunt, tam incomposite ac inor-  
dinate procedunt, ut non turmas, sed turbas, non ju-  
stum prælium, sed tumultum videoas. Modus sit,  
oporet, sit in dubitando ordo, sit tandem etiam dis-  
sentendi finis. Aurum enim semel probatum novo  
indies scrutinio committere, æque tædiosum est, ac  
infru-



infructuosum. Quæ cum ita sint, ad monita hæcce  
me componam, dum dubia quædam Physica, hæc-  
tenuis vexata, proponere, eorundemque evolutionem  
adjudicere mecum constitui, tentaturus, an ad robur  
Veritatis dubitando aliquid conferre valeam. Desti-  
naveram quidem Dissertationi disquisitionem de præ-  
cipitantia Physicorum, in determinandis rerum na-  
turalium causis, temporis vero angustia præpeditus,  
ultimam manum disquisitioni huic imponere, nec te-  
lum iamjam ceptum pertexere potui, sed illius per-  
tractationem ali reservare debui tempori. Faxit vero

Summum Numen, ut & hicce conatus in  
sui nominis gloriam  
vergat!

## QVÆSTIO I.

### *AN DETUR IN HOMINE PHYSICA NATURALIS?*

#### §. I.

**Q**VAM paradoxa etiam videatur phasis de physica ho-  
minis naturali, atramen, quantum judicare valeo, haud  
alia est, ac quam Philosophi passim adhibent, qua-  
do de *instinctu naturæ* in homine loquuntur, modo  
quod clare & distincte magis explicetur, quid phasis  
de instinctu naturæ sibi velit. Tribuitur ille instinctus & homini  
& brutis, vocatur diuinum domum; sed quod ad indolem ejus &  
originem definiendam attinet, omnes videntur deficere, ut parum  
absit, quin ad qualitates occultas referatur. Aliter longe agunt,

A 3

qui

qui *notitiam naturalem* in homine admittunt. Hi allegare solent principium quoddam conservatorium, quod intelligat, quæ ad vi-tæ integratorem & conservationem ab incunabulis pertinent, hinc media, modos, res naturales in subsidium vocat, ad finem memoratum obtainendum. Quod si quis vocabulo *Natura*, loco physice naturalis uti malleret, ut a natura talem scientiam homini adesse concesserit, hoc illi concedendum, quia in verbis faciles esse possumus, modo in re conveniamus. Dari vero jam talem in homine physicam naturalem, est, quod ulterius deducendum, & contra argumenta aliorum stabiliendum.

### §. II.

Corpus hominis modo nati, æque ac alia corpora naturalia, corruptioni obnoxia, versatur inter objecta, quæ lacerere illud, & ab intra & ab extra valent; imo ob teneritudinem suam per singula momenta lacerent & perderent, ne vero hæc corruptio locum habeat, adsit illi, necesse est, præsidium quoddam conservatorium, quod de objectis, corpus ambientibus, judicare posse, quatenus profint, vel detrimentum afferre valeant. Quod vero notitia isthac adsit, colligitur ex tranquillitate sub presentia & accessu objectorum ad conservationem facientium; & contra ex inquietudine, sub absentia illorumdem, aut adventu conservationi contrariorum. Indicant illam silentium & somnus; hanc pleras & quæ frequenter accedere solent, membrorum contortiones.

### §. III.

Nec desunt præsidio illi media ad notitiam talem facientia, in informationem de rebus externis, organa scilicet sensoria diversi modi, de iis vero, quæ interne aguntur, intrinseca perceptio, sive sensus vitalis. Ad horum relationes de admittendo vel rejiciendo objecto, sit sententia, & instituuntur tum etiam motus intentione conformes.

### §. IV.

Necessitas vero notitiae hujus naturalis atque vigor, in quantum ad integratorem corporis spectat, cum annis, quando objectorum natura-

naturalium major accedit varietas, sese magis quoque prodit. Desiderium nempe est infantibus admodum familiare, examinandi per sensus objecta, ut vix quidquam occurrat, quod non contrectare vel degustare anhelen, impleto vero hoc desiderio, si forsitan in perceptis vitium adfuerit, ut habeantur vel sint corpori nociva, vel si semel objectum, quod contemplantur, illos hæserit, serio ab illo sibi eavent, & omni studio a se avertere satagunt, sicuti pariter imminentes lapsus in terram, vel allisiones ad corpora pradura manus impediare, moderare, seque defendere circa omnem accidentem informationem externam nituarunt.

### §. V.

Nil igitur inde miri, quod infantibus vix in lucem editis somnus sit valde gratus, vigear in prole appetitus lactis, sit promptitudo applicandi labia ad papillam, adfuit peritia lac per vices ex mammis eliciendi, quod noverit infans subducere os, si lac nimium affluerit, & si hoc assumptum copia prægravaverit, e ventriculo per vomitum excludere; quod distinguere possit porro mammas inter & papillas peregrinas, quod placeat admodum calor, & displicet frigus &c.

### §. VI.

Ex hacce scientia naturali porro fluit, quod stupidi valde et ad omnem informationem inhabiles plane, haec tamen calleant, quæ ad corporis conservationem necessaria; e. g. cibum & potum affumere, defendere corpus a frigore, sub procelli se recipere in cryptas, & si casus quidam graviores illis imminent, si modo animadverterint, omni cura ac studio avertere. Observatur etiam in hominibus, qui sub teneris annis ab hominum consortio per infortunium separati, in sylvis & agris vitam traducere coacti sunt. Norunt hinc omni licet manuductione destituti, ad vietum & amictum pertinentia sibi comparare, mox huc mox illuc se conferre, ubi talia reperiuntur; norunt, lapsus ab alto illis imminentes sollicitate evitare, nec non recipere sese in arbores, quo a feris sint & maneant salvi, &c. Prout hoc exempla talium hominum passim obvia, testatum faciunt.

### §. VII.



## §. VII.

Ad scientiam hanc naturalem referenda tandem sollicitudo illa, quæ sub morboſo corporis ſtatu vanis modis ſeſe exerit, ut removantur vitioſa, quæ in corpore adhuc harent, ut uniantur, quæ viſ externa ſolvit, & ut paucis dicara, omnes intendit nervos, ut corpori ſanitas, variis modis debilitata, & pene amissa, iterum reſtituatur.

## §. VIII.

Poffemus adhuc, niſi brevitati ſtudere deberemus, adducetis jam rationibus alias addere, eademque variis teſtimoniis Cœleſtrorum Autorum roborare; ſufficient vero allata a nobis argumenta, ſiquidem ſatis probant, addeſte talem in homine physicam naturalem. Afferenda potius jam a nobis etiam erunt argumenta, pro ſententia negativa pugnantia, quo, ſolutis objectionibus, quæ circa hanc theſin formari ſolent, eo magis veritas hujus affeſcat.

## §. IX.

Terminus, prouti jam antea adduximus, forſitan non omnibus arridebit, dum vocabulo physice naturalis uſi ſumus. Affirmare enim quis poſſet, Physicam infantibus nullo modo tribuendam, quia ſcientia de rebus naturalibus, ſenſim tantummodo per media huic ſpectantia adæquata acquirendā, quo de indole rerum naturalium, de viribus earundem, de ordine, quo inter ſe gaudent, de mutationibus, aliisque phenomenonis per causas & effectus evidenter ac certo judicare qui poſſit; Facile tamen me quidem judge, inter omnes conſtabit, de tali Physica nobis plane non eſſe sermonem, quæ crescentihius demum annis acquirentur, quæ de infantibus dici non poſteſt, fed prouti homo, omnium regularum Logicarum expers, ſana ſaltē ratione prædictus, ex mediis terminis conſueta formare valer, adeo ut Philosophi etiam conſentiant, dari Logicam naturalē, idem de Scientia naturali admittendum erit, quod ſine ulla informatione in homine adſit.

adie, pro hujus necessaria sustentatione, quæ etiam ad hanc fulcien-  
dam sufficiens.

### §. X.

Ulro igitur concedimus, quod ad media cognitionis istius pertineant sensuum crebrum exercitium, experimentorum provida & repetita attentio, instructio aliorum, &c. nec negamus, Physicam multos annos, studiumque indefessum, ut penitus cognoscatur, requirere, dum haec omnia ad Physicam scienter addicendam pertinent, quippe quæ omnino allatis antea mediis opus haber. Non vero de Phylca naturali dici possunt, nam quanquam sensus adhuc molles, nullaque accedit institutio, sufficit tamen ad finem, cuius ergo in homine est, obtinendum. Nec etiam sententia nostræ veritatem infringere potest axioma illud: nihil est in intellectu, quod non antea fuit in sensu; siquidem illud in omnes scientias saltem quadrat, quæ per ratiocinationem sunt comparandæ, sed deficit, quando sermo est de notitia præsidii corporis ab externis injuriis dependentis, ante sensuum existentiam, vel usum, id quod physica naturalis nobis audit.

### §. XI.

Provocare quis posset ad stupidos, qui inter objecta naturalia ad conservationem corporis facientia haud distingvunt, sed æque nociva in cibo & potu capiunt, quam congrua, amictum ad frigus arcendum spernunt &c. vix aliter, ac de infantibus constat, quod creta interdum, calce, araneis &c. tanquam cibo optimo sele oblectent, nisi per informationem, & pœnas ab illis retineantur. Sed hec aliquando hoc, quamvis raro admodum obtingat, ut homo non noverit discernere inter ea, quæ corpori salutaria, & infensa, eo citius etiam talis e vita discedit, ut ergo potius tales observationes, si obtigerint, in argumentum pro physica naturali cedant, quam ut illam infringant. Non enim nulli sunt effectus. Insuper, quæ de absconis, & quæ alias loco cibi assumi plane nequeunt, allegantur, tantum abest, ut infringant existentiam physice naturalis, ut potius roborent eandem, quia exempla talia obvia

etiam sunt in adultis, feminis nempe gravidis, malacia laborantibus, quippe quae durante isto tempore, cibos interdum assumunt, quos deinde averuntur.

### §. XII.

Unicum adhuc adducamus argumentum, quod contra physicam illam naturalem pugnare videtur; nempe noluisse DEUM, ut homo statim a nativitate in scientia naturali esset versatus, sed posuisse illum in medio corporum naturalium, formasse organa sensoria, quo mediantibus his de objectis obvenientibus homo judiceret, ut crescet abhinc ex exercitio demum quotidiano intellectus de illis, quae sensibus sese offerunt, & igitur sic sensim sensimque notitia physica contemplantibus instilletur, ad finem obtinendum primarium, ut gloria DEI exinde eluceat; quae requisita essent superflua, si daretur Physica naturalis. Sed, quanquam labenter concedamus, dedisse sapientissimum Creatorem hanc hominibus occupationem, ut contemplando, examinando, usurpando objecta naturalia de sua omnipotencia & amore convincantur; & concessisse etiam hoc spectantia media; antea tamen fuit corpori de conservatore quodam & praesidio, innata quadam notitia praedito propiciandum, quam intentio illa divina obtinere potuerit, ne ante corruat instrumentum notiae, quam notitia ipsa acquisita accesserit.

## QVÆSTIO II.

*AN BRUTIS SENSATIO ET RATIO  
TRIBUENDA SIT, AD OFFICIA ILLIS  
COMPETENTIA IMPLENDA?*

### §. I.

Dubito, an non hos inter, qui in brutis rationem adesse affirmant, & illos, qui saltet analogiam rationis brutis concedunt, rationem vero locum in iis habere negant sit mera Logomachia, ut, reaccurius pensarata, invicem consentiant, quam videantur etiam, aut velint dissentire. Analogia quippe vocabulum in sensu proprio & recepto proportionem rerum inter se denotat, & hanc proportionem diver-



nam adesse, ultro concedunt, qui pro Brutorum sensatione & ratione pugnant. Perhibent enim esse eandem sensationis, non tamen rationis proportionem in brutis & hominibus, sed longe excellentiorem & maiorem rationem humanam, quam brutorum, & animam hominis longe sapientiorem anima brutorum. Discrimen, quod est inter res materiales, ut, quamvis ratione essentia concordent, ratione tamen affectionum differant, itidem locum in doctrina de spiritibus finitis habere dicunt, ut hi quoad attributa a se invicem distent, tamen, ratione essentia sit inter illos quædam harmonia. Aliam quippe esse intelligentiam Angelorum, aliam animæ humanæ, aliam demum animæ brutorum, & hoc discrimen in diversitate officiorum, cuivis illorum competentium esse repositum. Non requiri ex instituto divino, ut intellectus humanus, ad eminentiam intelligentiæ, qua angeli gaudent, ascendat, quia alia longeque eminentiora officia ab angelis, quam ab hominibus sunt præstanta; nec esse etiam debere ex voluntate DEI intellectum brutorum tantæ activitatem præditum, quam hominis, quia homini longe alia incumbant officia, ad quæ bruta non tenentur.

## S. II.

Minus restet ergo illos, asserunt, procedere, qui ex affectionibus diversis ad diversitatem essentia concludant, & rationem adesse negant, ubi non tantus rationis est, aut esse etiam debet, ac alibi, gradus. Homini præter officia cum brutis communia, nempe præter conservationem sui & multiplicationem hoc adhuc officium demandatum esse, ut DEUM per sensus ex operibus suis & mediante revelatione ex verbo divino cognoscatur, ut porro DEUM, quem tanquam sapientissimum & benignissimum cognovit, summo amore prosequatur, veneretur, laudibus extollat, & talen proli sue prædicet, quo hæc itidem in cognitionem, amorem & reverentiam Summi Numinis trahatur. Ultime hoc officium, ut a brutis præstetur, noluisse sapientissimum Creatorem, hinc etiam brutis non rationem talem largitur esse, ad illud exceptandum habilem & aptam. Hinc cessare in brutis & quoad corpus, & quoad animam, quæ eo faciunt. Pensato jam probe

B 2

hoc

probe hoc discrimine, quod in natura officiorum, a creaturis præstandorum fundatum, facilius inter se convenire, credunt qui hac de re magno interdum cum affectu disputare solent. Faciliorem sic esse demonstrationem, dari in brutis rationem & sensationem, ad officia illis competentia implenda.

### S. III.

Este porro brutis ex mandato & instituto divino negotia quedam injuncta, perhibent, conservationem nempe sui ipsius & productionem prolixi; Concedi vero etiam illis debuisse media, ad finem hunc obtinendum necessaria. Si enim media hue spectantia non adfuerint, nec finis ille in effectum deduci potuisse. Versari autem bruta inter objecta, quæ partim ad finem illum congrue & decenter obtainendum faciunt, partim ad eundem impediendum apta sunt, ut discernere debeant bruta, & elegant congrua, & fugienta nociva. Discernere ergo, cum sit actio a materiae aptitudine longe remota, supponere rationem quandam, percipere vero objecta, velle sensationem.

### S. IV.

Nec vero alia esse media, pergunt, quibus homo uitetur ad eadem officia præstanda. Hinc eandem esse in homine & brutis harmoniam, quoad corpus organicum, & imprimis organa sensoria, quoad perceptionem, quoad modos eligendi & respundi, quoad intentionem & remissionem motuum respectu finis, vel facile vel difficulter obtainendi, &c. Ut etiam, qui penitus ad harmoniam illam attendant, fateantur, bruta ratione mediorum concessorum ordinata magis & proprius ad finem obtainendum procedere, adeo ut ausi sint, defendere, quod bruta interdum ratione melius homine uiterentur.

### S. V.

Neminem quoque esse, qui negat, adeesse in brutis memoriam & remissentiam, utpote sine quibus nec prorogationem vite, nec productionem prolixi succedere, easdem vero supponere principium quoddam, a materialibus affectionibus liberum, finem respiciens, ratione igitur quadam præditum.

S. VI.

## §. VI.

Observari porro in actionibus brutorum, consuetudinem locum habere, dum promptius expediant bruta, saepius jamjam suscepta, sive dum placide magis tolerant saepius perpetua; ingentia vero fere offerre dubia, quando indoles consuetudinis in rebus materialibus reponatur, admodum commode vero omnia explicari posse, si eadem principio cuidam intelligenti tribuatur. Praeterea etiam quotidie videri bruta affectibus esse obnoxia, objectis vel valde laeti, occurrentibus gaudere; dolere vero eadem, si causæ externæ cum afflictione coniunctæ obvenerint.

## §. VII.

Sunt haec primaria illa argumenta, quæ pro sententia affirmativa allegari solent. Adducamus jam etiam rationes, sententiam negativam roborantes.

## §. VIII.

Actiones brutorum, quamquam sint miræ, & attentionem & admirationem excent, tamen tantummodo effectus esse phantasæ;phantasiam vero repositam esse in structura partium cerebrum componentium. Hinc pro varietate partium istarum esse etiam variam, & ab integritate vel labore illarundem phantasiam valere, vel vacillare; Nec inde actiones brutorum esse liberas, ut velle & nolle in illis locum habeat, id quod tamen in homine ratione predito obtingat, sed omnes istas actiones fieri ex necessitate structuræ, moderante instinetu naturali. Excipere solent, qui pro affirmativa sententia pugnant, non tantam ex voluntate divina requiri in brutis libertatem, qualis in homine datur, quia officia, a DEO præcepta, non ubique eadem. Haud tamen, quoad conservationem & multiplicationem omnem absente libertatem, sed potius velle ac nolle habere omnino in brutis locum, ubi varia etiagi hoc spectantia adducunt exempla.

B 3

## §. IX.



## §. IX.

Pergunt, qui negativam tuerintur sententiam adducere, quavis imperitis ita videatur, ac si rationis species quadam subesset, omnia tamen, quæ a brutis peragantur, motibus istis esse similia, quos in admirationem spectatorum machinæ hydraulico pneumaticæ vi strukturæ, aut sub accessu aura æthereæ elasticæ præstant. Respondere solent, sententia huic repugnantes, quanquam comparatio hæc admitti possit, attamen eandem etiam non esse nimis extendendam. Machinas enim, licet fuerint artificiosissime, manente eadem strutura, non nisi uniformes motus edere, eosdemque semper, quoties reiterantur eodem modo repeteret, numquam vero variare; actiones vero brutorum pro objectorum varietate etiam variare, bruta etiam motus iterum intermittere, fine, cuius ergo motus instituti, obtento.

## §. X.

Progrediuntur ulterius, qui negativæ calculum suum adjicunt sententia; negotiorum sensuum in brutis valde a sensatione, quæ in homine adeat, differre. In homine enim fieri a relatione per sensus judicium; judicium vero facultatem esse animæ rationalis. In brutis autem sensationem peragi mediante motu tremulo ex allitione objectorum ad organa ortum trahente, qui continuet proximo appulsus ad cerebrum, ubi phantasia residet, & hæc porro aetate determinare, qui sensationem insequantur. Nec cogitare etiam bruta, quod tamen fieret, si illis esset ens ratione preditum, & quia non cogitant, etiam loquela destitui, mediante qua cogitata certis notionibus aliis significare possent. Concedere solent equidem adversarii, cogitationes brutorum non eodem modo se habere, ac in homine, attamen reflexiones quoad objecta obnientia in brutis adesse, ex actionibus illorundem probare contendunt, e. gr. si nova obvenerint objecta in sensus incurria, Quod ad loquaciam attinet, concedunt, officia brutis demandata non requiri, ut sit adeo distincta, prout in hominibus observatur; Adesse tamen contendunt in brutis speciem quandam loquacæ, ut edere

edere & variare valeant voces, quies officia id requirunt; & sa-  
pientia divina tribuendum; dum voces brutorum tam a se invi-  
cem distent, quod ordo in negotio multiplicationis eo melius obri-  
neri possit, & omnis evitetur confusio.

### §. XI.

Aduunt adhuc varia argumenta, quæ pro stabilienda sua thesi,  
sententiam negativam defendentes adducunt, quid nempe de bru-  
tis, si anima illis concederetur rationalis, tandem afferendum,  
anon anima illa etiam incorruptibilis & immortalis dicenda? Annon  
stante sententia illa, bruta itidem mererentur penas & præmia pro  
actionum qualitate, annon etiam, si ratione gauderent ali-  
quando actionum rationem reddere deberent? Et annon ex his  
assertis de sensatione & ratione in brutis æque ac in homine flue-  
ret, bruta esse homines, & homines esse bruta, modo quod di-  
veritas corporum externa, & loquela quandam, sed non realem  
differentiam sistant.

### §. XII.

Sed hæc de quæstione hæc satis alias vexata sufficiant. Ad  
item ipsam quod spectat, illam plane non facio meam, sed adduxi  
tantummodo argumenta, tam pro affirmativa quam negativa sen-  
tentia pugnantia, quo unusquisque, re accuratius pensata, ju-  
dicare possit, quænam sit alteri præferenda.

## QVÆSTIO III.

*AN ANIMA HUMANA INTER OBJE-  
CTA PHYSICÆ LOCUM  
HABEAT?*

### §. I.

PROTUS, jubente fana ratione, peccant, qui inadæquatas ac ani-  
ma humana nullo modo competentes in medium proferunt,  
defini-

definitiones, ita & censuram omnem effugere nequeunt, qui scrutinium de anima humana instituendum e studio physico relegant. Est quippe periti nautæ, non saltæ nosse strukturam navis, quæ fidei & regimini suo commissa; nosse descensum navis pro ratione aquarum variantem &c. Sed requiritur, ut se quoque informet de ventorum vi atque impetu, quinam sint idonei, qui vero minus secundi, ut sciat pro ratione diversitatis venti, dirigere navem, disponere vela &c. Pariter etiam Physicus a foro suo alienam estimare haud deber inquisitionem de anima humana instituendam, quenam sint animæ vires, & quæ ex connubio cum corpore intimo phenomina familiaria sint & reciproca.

### §. II.

Homo inter objecta Physicæ ab omni tempore locum obtinuit, quem vero binæ partes essentiales hominem constituant. anima nempe & corpus, binæ quoque hæc partes ad objecta Physicæ pertinent; nec anima tantum pars est hominis, sed pars primaria, a qua homo talis dicitur, in scrutinio igitur de homine etiam nullo modo negligi debet.

### §. III.

Omnis porro actiones naturales corporeæ sunt in certum quandam finem, per media hac collimantia adæquata. Quam igitur de his agat Physicus, attendat etiam necesse est, ad Directorem earundem, nempe animam; & præsertim, quam actiones corporæ, vitales dictæ, quia ad prorogationem vite faciunt, pro animæ corpus inhabitantis indole varient, ut quando hæc vividior, illæ quoque vigeant, si hæc vero langvida, illæ etiam torpeant. Quod si vero Physicus ad animam non attenderit, de illis certa proferre haud valer.

### §. IV.

Dum præterea sensuum negotium examinare Physicus, & inquirere debet, quomodo medianibus organis sensoriis relationes ad animam

animam fiant, necessario etiam requiritur, ut animæ sibi comparet notitiam, in quantum ad negotium illud concurredit.

### §. V.

Excipere quis posset, & receptam Physicæ definitionem allegare, quod sit scientia de corporibus naturalibus; & exinde ultius deducere, Animam humanam, dum non est corporea, sed immaterialis, nullo modo inter objecta Physicæ locum habere posse. Sed, ut riteceamus, usitatam illam Physicæ definitionem a permultis jam jam esse limitatam, quia minus adæquata, antea a nobis adducta argumenta satis evincunt, animæ humanæ inter objecta physicæ locum omnino esse tribuendum. Et quanquam videatur, ac si consideratio de anima humana instituenda, ad Psychologiam tantum pertineat, quatenus est spiritus; psychologia vero de spiritibus agat, & sic doctrinæ quoad objecta sua confunderentur, si animæ humanæ scrutinium ad Physicam referamus; attamen nexus, qui inter Doctrinas est, dubium hocce facile solvit, suppetias enim sibi invicem semper in docendo & discendo, ferunt; Et licet Psychologia sibi scrutinum de spiritibus vindicet, exinde tamen non sequitur, quod Physica animam humanam considerare haud possit.

### §. VI.

Adducere adhuc equidem quis posset, examen de anima humana in Physica instituendum, non admittere media cognoscendi, quibus Physicus utitur, nempe sensus & experimenta; sine mediis vero cognoscendi finem etiam neminem obtinere posse. Frustraneam igitur fore operam, imo Physicum oleum operamque esse perditurum, si notitiam de anima humana accuratiorem comparare sibi veller; Melius vero sibi consulere Physicum, si omnem eo collocet operam, ut corporis fabricam, eandemque longe artificiosissimam sibi reddat notam, Scrutinium vero animæ pnevmatologie relinquit; Sed quanquam recte affirmetur, quod neque per sensus neque per experimenta Animæ indoles innoscatur, attamen effectus animæ in corpore obvii, testimonii & experimentorum loco esse possunt.

C

QVÆ.

## QVÆSTIO IV.

### AN PER AQVAS SUPRA COELESTES INTELLIGI DEBEANT NUBES?

#### §. I.

**Q**uamvis in hoc argumendo demonstratio locum non habeat, Scriptura Sacra de circumstantiis hue spectantibus pene silente, ut in probabilitate etiam subsistendum sit, videntur tamen rationes, non adesse, aquas supracœlestes, sed tantummodo nubes, aliis graviores, ut his tam diu subscriptibendis sit, donec ponderosiora pro negativa stabilienda sententia, in medium proferantur argumenta.

#### §. II.

Consentunt nempe peritos Critici in eo omnes, vocabulum, **υγρόν** proprio & adæquato sensu denotare corpus quoddam expansum, sive in latum extensum, dum a Radice **υγρόν** descendit, quæ donorat: expandit, extendit, quæ vocis acceptio apprime in ærem quadrat, imprimis in portionem ejus, quæ atmosphera appellatur. Hæc enim circa globum terraqueum undique est expansa. Huic igitur expanso sive aëri nomen celi ibidem tribuitur, ita ut sensus verborum sit, Deum aquarum congeriem tam aperte divisisse, ut illarum quedam portio superiore, respectu terra locum obtinuerit, quedam vero portio in terræ confiniis & gremio permanserit, quo ex illarundem divisione tam sapienter instituta, multa terra percipiat commoda & redderetur frugifera.

#### §. III.

Repugnat igitur aquarum conditioni, sive indoli, adeo elevari inaltum, & hic hære. Nam gravitate sua, qua gaudent, superarent aërem subjacentem, qui tamen sustinere easdem debet, & quo sublimior, eo etiam est tenuior. Pondus igitur tam insigne sustinere plane non valer; Ad miracula vero pro sententia de aquis



8

aquis supra cœlestibus stabilienda, recurrere, nulla juber necessitas. Aliam vero aquarum in altum elevatarum fuisse substantiam, ac eorum, quæ in profundo remanserunt, negat relatio, quippe quæ clarissimis verbis exprimit, fuisse aquas ejusdem substantia; nullumque inter eas, nisi loci intercedere discriminem. Quibus momentis addere adhuc liceat, disparem fuisse omnino sub divisione aquarum proportionem, ut aquarum supracœlestium immensa fuisse congeries, aquis vero, infra relictis, respectu ad illas habitu, vix pro guttulis habendis. Omnis vero difficultas facile corruit, si nubes pro aquis illis supracœlestibus habeamus.

### §. IV.

Sunt vero permulti, qui aquas supracœlestes adesse, defendunt, ac hanc suam sententiam variis argumentis, roborare contendunt. Quos inter JOANNES SPERLINGIUS eminet, qui Institutionibus, quas conscripsit, physicis, peculiare caput de Aquis supra cœlestibus p. 454 seqq. inservit. Argumenta, quæ pro confirmanda thesi sua memoratus Autor, &, qui eum sequuntur adducere solent, satis sunt speciosa, nec omni pondere desituntur.

### §. V.

Volant enim, quum a sensu Sacrae Scripturae literali citra gravissimas causas non recedere quis debeat, etiam hic præstare, in claris ejus verbis subsistere, quam ultra illa sapere velle. Quum igitur hic dicatur, aquas hasce supra cœlum esse elevatas, statim colligitur, remotissimum fuisse a terra locum, in quem ablegatae fuerint; prouti Scriptura Sacra majorem non novit distantiam allegare, ac qua cœlum inter & terram intercedit. Nubium autem altitudo se non adeo extendit. Notandum vero, Vocabulum Cœli varias admittere significations pro diversitate regionum, ad il lud spatiu[m] pertinentium, quod ultra globum terraueum est, quare etiam in plurali in Sacra Scriptura adhibetur. Citra ergo vim textui inferendam, regioni aëro-athereæ tribui potest, quæ terram ambit. In sensu utique generali alias Cœli vocabulum spatiuum

tium amplissimum innuit, quod intellectus humani æque ac visus limites longe excedit, & cuius distantia & amplitudo est plane immensa.

### §. VI.

Nubes, ac pergunt, qui sententiam negativam amplectuntur, ex aquae vaporibus in sublimi collectis oriuntur, qui ex combinatione sua, ad quam corpora vicina faciunt, graviores aëre inferiori, sub forma gurgularum in terram cadunt, & pluviam constituent. Nec vero, quod expressis verbis Scriptura Sacra refert, pluviae ceciderunt, nec ergo vaporum aqueorum fuit collectio, nec ex combinatione major aëre inferiori gravitas, nec consequenter exsistere nubes; Econtraire nubes deinde demum coaluerunt vapore, qui e terra gremio ascendens sublimia petat, nubes constitutae pro terra humectanda. Sed Scriptura Sacra non negat, adfuisse in initio nubes, sed refert pluviam nondum cecidisse, prout effusio hæc non constans est, sed temporaria. Accessisse vero addit eadem, vaporem e terra prodeuntem, quo ex majori aquearum molecularum cumulo pluviae accederent ac terram irrigarent.

### §. VII.

Majorem, porro adstruunt, applausum hanc assertionem mereri, quod per aquas supracœlestes intelligantur aquæ corpora planetarum circumstantes. Nam hi, terræ, quæ idem planeta conformes, atmosphaeram habent, in quam se effluvia aquæ recipiant, ut tali modo dentur etiam aquæ supracœlestes: Quandiu vero, quæ de Planetarum facie interna, & analogia cum globo hoc terraquo, adhuc dum in conjecturis consistunt, erant etiam pro conjecturis habenda, quæ de aquis planetas circumdantibus adstruuntur, donec futurum ævum clariora supeditaverit documenta,

QVÆ-

**QVÆSTIO V.  
AN SALSEDO MARIS SIT CON-  
CREATA?**

**§. I.**

**N**on patet natura vel qualitas attributorum essentialium, quibus  
creata sub prima productione certum in finem & ob nexum  
cum aliis corporibus sunt donata, quia a sola providentia divina  
originem & progressum habent. Valet hoc etiam de falsedine ma-  
ris, urpote, unde originem traxerit, vel in quo consistat, nobis  
non adeo constat; & quanquam liberam uniuersique suam linqua-  
m sententiam, meretur attramen, quantum judico, sententia, quod  
falsedo maris sit concreta, praे alias applaufum.

**§. II.**

Dum enim DEUS sub productione rerum naturalium tam  
ad utilitatem publicam, quadam totum systema cœli & terra, quam  
ad privatam, ratione subjectorum in hoc vel illo loco respexit,  
attendit quoque sub aquarum congregationibus ad commoda ab  
his exspectanda, & exinde etiam aquis marinis addidit falsedinem.  
Liceret jam homo commodororum taliam minimam partem capiat,  
sunt tamen quorum sibi tantam comparer notitiam, ut provider-  
tiam divinam omnia tam sapienter disponentem, eo melius ex-  
peribus cognoscatur. Quod ad falsedinem maris attineret, voluit  
Creator, ut pisces mole maximi in maribus compararentur, sed  
hi ob pondus, quo gaudent, in aquis sic distis dulcibus difficult-  
ter admodum natare debuissent, aqua vero salsa, melius illos susti-  
nere potest, ut circa difficultatem hue illuc, sursum deorsum pro-  
lubitu conferre sece valeant.

**§. III.**

Accedit, quod aquæ dulces ranti ambitus, qualis maria sunt,  
radius solaribus undiquaque exposita maximum emississe vapo-  
rum

rum copiam, siveque perpetuas constituiscent nebulae & nubes, tum quoque pluvias, a quibus accolte & ratione soli, & ratione sanitatis mala perpetua habuissent sustinenda, qui vaporum copio-  
sior ascensus ab aquis salinis tantus non est. Contraxiscent porro,  
calore aliquando intensiori aqua dulces vitium, cui falsedo  
resistit,

#### §. IV.

Differit inde falsedo maris, speciam huic ex arbitrio d'vi-  
no concessam, ab omni alia aqua salita nam amaritatem simul gustui  
offerat, singularem & specificam.

#### §. V.

Pugnant vero alii pro negativa sententia, & assertunt, con-  
trahere maria falsedinem, quia calor vel aestus solis multos atomos  
aqueas solvit in vapores, ut in alum ascendant, hinc residue,  
magis ad se invicem accedendo, falsedinem sensibus offerunt,  
prout aquae falsae per  $\Delta$  Sale in fundo harente, falsae magis red-  
duntur. Sed questio hic plane non est, annon aqua salina sub mi-  
nori particularum aquarum diluentium praesentia fiat falsa magis,  
quod facile conceditur, sed queritur tantum, unde falsedo maris  
omnium primo traxerit originem.

#### §. VI.

Allegare assolent porro matrices quasdam salinas, in fundo  
maris, que aquas incumbentes & alluentes inficiant, prout hoc  
toto die in fontibus salinis conspiciendum; sed ut taceamus, ma-  
trices tales in profundo maris numquam esse repertas, si adfu-  
sent etiam & ad mortuum altitudinem accessissent, per tot secula  
aqueas alluentes illas dudum exhaustissent.

#### §. VII.

Aliud adhuc adductum, qui negarivam amplectuntur senten-  
tiam, argumentum, quod aquis marinis non insit falsedo, nec  
inesse etiam possit, quia constituant alumina & fontes, in quibus  
aqueas

aqua illæ sunt sale privatæ, ut dicantur dulces; id quod etiam obtiner, dum aquæ marinæ per terram transcolantur, ut salcedo remaneat, sicuti aquæ sale culinari imprægnate, filtrationis beneficio edulcorantur, i. e. sale privantur, sed quamvis transitus aquæ marine per recessus terra sit valde probabilis, nec tamen inde infringitur de salcedine concreata hypothesis, quia sub illo transitu aquæ percolantes cessant esse marina & hisce usibus vacare desinunt, dum per terræ cryptas transeunt. Haud tamen quævis transcolatio salias aquas mutat in dulces, quin longo irinere & transitu, opus sit.

## QVÆSTIO VI.

*AN HOMINES, SI IN STATU INTEGRITATIS PERMANISSENT, IN SCIENTIA NATURALI ADDISCERE QUÆDAM ADHUC DEBUISSENT.*

### §. I.

**L**ADEM omnino merentur, qui scrutinia de statu posterorum protoplastorum instituant, si a labe peccati manifester im-  
munes, & bona, quibus primi parentes gaudebant, ponderanda sibi sumunt, quo eo melius de gloria protoplastis concessa, ac de statu, quo fruebanur, felicissimo judicare possint. Imitemur horum omni laude dignum exemplum, & in præsentiarum de-  
notitia, qua prædicti erant, agamus, an scilicet protoplasti, si in statu integritatis permanissent, in scientia naturali addiscere adhuc quædam debuissent. Me quidem judice, accuratius procedunt, qui evincere studeant, quod intellectus Protoplastorum & descendantis prolis, perdurante statu integritatis, fuisse majori rerum naturalium notitia beatus & tam ex quotidiana cum creaturis conversa-  
tione, quam murio cum aliis hominibus colloquio scientiae majus-  
indies fuisse additum pondus.

### §. II.



## §. II.

Pollet enim anima humana, quatenus corpori inest, duplicit notitia: altera a momento existentiae sua individualis, a quo est spiritus intelligentia circa omnem per sensus accedentem institutionem: altera, qua fab informatione per sensus sub usu objectorum acquiritur. Quoad illam, quam innatam, appellamus, facile conceditur, quod proles protoplastorum perennante statu integratis non indigueret incremento cognitionis; sed anima omnia & quævis calluisse, quæ ratione offici sibi fuissent expediunda; Ast quod hanc, quæ adventitia sensualis ac acquisita nominari solet, incrementum scientiae sub conversatione cum objectis naturalibus, habuisset locum, ut demandata officia eo promptius implere potuissent.

## §. III.

Informare se præterea & protoplasti & herum proles, perdurante integratis statu magis magisque de DEO, mediante contemplatione rerum naturalium debuissent, cuius ergo corpora eundem organis sensoriis erant instructa; Quævis vero informatione sit in incrementum scientiae.

## §. IV.

Sunt vero etiam varia, quæ sententia huic calculum suum non adjacentes in medium proferre assolent. Animam nempe Protoplastorum nulla fuisse labe inquinatam, & sic liberam ab illa quoque fuisse prolem. Ignorantium vero esse labem sive vitium intellectus, facultatis nimurum anime, multo magis eo fuisse refrendam ignorantiam objectorum naturalium, rato die occurrentium; neccesse igitur esse, cognovisse Protoplastos, quæ scire debuerunt, informatas quoque etiam fuisse prolem de iis, quæ ad scientiam naturalem perinent; Sed non omnem ignorantiam ad labem intellectus referendam esse, unicuique constat. Datur enim ignorantia, non culpanda, quæ locum omnino habere potest, ut laudens potius mereatur, nescire ea velle, quæ DEus creaturis revelare noluit.

## §. V.

## §. V.

Adducunt porro, qui negativam affirmativa preferandam esse putant sententiam, indigne nempe illa scientia nullo modo a labo peccati inamunes, quae hodie humanum genus torqueret, & quam sollicita conservatio sui ipsius & defensio a rebus noxiis injungit. Primum enim objectorum naturalium intuitum suppeditasse jamjam notitiam necessariam & utilem; sed quanquam abfuisse omnino omne studium, omnisque sollicitudo de comparando vieti & amictu, de injuriis tempestatum vel bestiarum arcendis, de sibi comparandis utensilibus, ad vitam prorogandam necessariis, non tamen desuisset studium scientiae naturalis, quin potius hoc oblectamento protoplastis fuisset, quod instruere, nunquam vero satiare animos potuisset, novis occurrentibus objectis, semper novam etiam admirationem excitantibus.

## §. VI.

Ulterius urgere solent, sententiae affirmativa repugnantes, magis allegari non posse argumentum, quod notitia perfecta de rebus naturalibus statim in Protoplasis adfuerit, ac quod scriptura sacra refert, dum Adamus adductorum ad illum animalium naturam sub primo illorum intuitu calluit, illisque nomina, naturae illorum conformia imposuit; item, dum sub primo conspectu Evæ statim novit, quemam esset, & unde originem traxerit, dum quoque Eva circa hesitationem agnovit Adamum, pro Marito habuit, & cum illo suaviter est colloquuta. Plane vero non valet illatio a notitia, quæ in Adamo & Eva adfuit, ad notitiam in prole existentem, creabatur ille, & producebatur haec in ætate, quæ virilis dicitur, ita, ut etiam intellectus adfuerit, ætati huic conformis, pariter ac mox, a creatione arbores jam proferebant fructus eius aptos, quod abhinc in regno vegetabili non obtinuit. Crescere itaque, ac ad majorem semper gradum ascendere etiam prolis protoplastorum notitia debuisset.

## §. VII.

Ultimo denique loco ad argumenta, pro praesentia notitiae in prole protoplastorum, referunt, gratissimam DEI presentiam, &

D

Ange-

Angelorum commercium longe suavissimum. Mediantibus his, fuissent statim de rerum naturalium sensus sufficientium essentia, qualitate, tam externa, quam interna, de viribus & utilitate earundem instracti ; circa quod multo tempore multaque opus fuisset indagatione. Concedendum jam equidem, contulisse antea memorata ad facilitatem cognoscendi res naturales, & ad usum harundum eo circius intelligendum ; remansisset tamen in hominibus aviditas, plura adhuc cognoscendi, & quia in objectis naturalibus invenient magnalia DEI, de his etiam, magis magisque sese informassent.

## QVÆSTIO VII. AN CORPUS ADAMI FUERIT EX AURO CONSTRUCTUM?

### §. I.

**A**gitata jam dudum est controversia, an Adami corpus fuerit pellucidum, ex auro constructum, ac inde coruscans? id quod famosissima illa ANTONIETTA BOURIGNON & qui eam sequitur, POIRETUS, nec non Observ. Halen. Tom. VIII. Obs. VI. p. 137. evincere omni studio allaborarunt. Nullo vero nituntur fundamento adducta ab illis argumenta, id quod deinde, si, thesi nostra, contra illos stabilita, que in medium proferre assolent argumenta, accurius paullo examinaverimus.

### §. II.

Probari vero potest, auream massam non elementum corporis Adami fuisse, quia ob competentia Adamo statim a formatione officia, flexilis partium corpus componentium, & promptius ad motum de loco in locum necessaria erat; utrumque vero momentum a massa aurea expelletari non poterat. Fuit abhinc corpus Adami organis sensoriis instruendum, quæ de constitutione objectorum naturalium animatum informarent, in Organis vero necessaria fuit

suit molliities, quo a contractu & allisu objectorum imprimetur modicus motus, nervis porro, & mediantibus his, cerebro communis catus. Fuisse autem massa aurea ob duritatem, qua possit, & soliditatem ad motum illum excitandum plane inhabilis.

### §. III.

Indiguisset porro Corpus Adami nutritione, cuius ergo illi statim a formatione concessa illa potestas, carpendi arborum fructus, esui aptos. Corpus vero ex auro constitutum fuisse haud commodum ad alimenta capienda, masticanda, deglutienda, & subigenda; omnium vero minime ut particulae illae nutritiae potuerint loculis suis intrudi.

### §. IV.

Obtinuissent etiam in Corpore Adami secretiones & excretiones ad vitam prorogandam necessariae; eademque pro qualitate & quantitate secernendorum & excernendorum diversae; sed fuisse compages aurea ad hæc præstanta plane inhabilis.

### §. V.

Solent vero Adversarii varia pro stabilienda sua sententia in medium proferre argumenta. Provocare nempe solent ad vocem **rubrum**, in historia creationis occurrentem, quæ, ac Cel. MAJUS in Disp. Sacris adduxit, est vox *Egyptiaca*, & denotat: splendere, splendorem insignem de se spargere; indicare igitur hæc vocerubredinem quandam insignem & splendentem admodum; quæ etiam Exod. 39, 10. & Ezech. 28, 13. de rubino prædicatur. Splendorem vero talen cum rubidine coniunctum omnium maxime auro competere. Optime vero Controversiam hanc exposuit, & nostram sententiam firmissimis contra adversarios roboravit B. FECHTIUS argumentis in Disp. de Gloriosissime lucente Adami corpore, dum, adductis jam ante variis huc spectantibus argumentis §. 24. p 40. explicationem CLERICI suam facit, his quidem verbis: Non immerito dubitat Clericus, utrum a formositate dicatur, cuius observatio inep-

ta non est, Adamum nempe non immediate ab אָדָם, si talis apud antiquos radix existiterit, sed ab אָדָם terra dici, quippe quod nimis clare insinuet DEus: Terra es, &c. si autem vel maxime etiam splendere significarer, tamen inde firmum argumentum pro facie aut corpore Adami splendente non caperetur. Nam ex Etymologia infirma sunt argumenta, quod vel ipsa experientia denotat.

### §. VI.

Pergunt Adversarii adducere pro stabilienda sua sententia, splendens Adami corpus atque fulgorem, quem de se sparsit, omniis bestiis terrae terrorem injecisset, quo minus haec invaderent, & laederent. Inesse vero nativum auro splendorem. Supponitur vero hic splendor corporis Adami, suppositio vero haec iterum assertio de massa aurea innititur. Quum vero antecedens hypothesis non satis sit probata, etiam haec valere nondum potest. Excusit jamjam optime hocce argumentum B. Fechtius I, c. §. 13. p. 27. ut non opus fit, diutius hisce immorari.

### §. VII.

Ut alia jamjam mittamus argumenta, quæ ab adversariis adduci solent, hoc unicum tantummodo adhuc afferamus, Adamum nempe statum corporis valde mutatum intellexisse, percunite, accedente peccato, splendore, ut se nudum esse, & regnitis indigere cognoverit; Mutatam igitur tum esse auream corporis compaginem indestructibilem, in fragilem carneam massam, qualis hodie conspicitur; sed respondemus, Adamum non ignorasse, se nudum esse, sed tantummodo, quum adhuc adestet status integratatis, non cognoscere, nuditatem, quæ illi aderat, fore sibi aliquando ignominiosam. Ut taceamus, materiam, ex qua Adamus formatus, non fuisse pellucidam, nec splendentem, dum ex pulvere terræ creatus, qualis vero materia, tale etiam esset materiatum,

QVÆ-

## QVÆSTIO VIII.

### AN COMETARUM TERROR SIT PRO PANICO HABENDUS?

#### §. I.

**C**ometas, horumque apparitiones magnum semper in animis hominum excitat terrorem, unicuique constat. Et quamquam nihil, quam quod regulæ nature secum ferunt, quando apparent, observatur, tantum tamen semper cometarum apparitiones terorem excitarunt, ut vix detur major. Panicum vero esse istum timorem, nulliusque momenti, in subsequentibus paullo prolixius demonstratum dabimus.

#### §. II.

Sunt enim Comete ad stellas referendī, qui motum habent cum aliis stellis communem, ut ab oriente ad occasum tendant; modo quod descendendo & aſcendendo varient, & rarius conspicuntur. Infrequentia igitur hæcce mentes primo in admirationem rapit, & deinde merus insequitur, qui hodie pene ubique observatur.

#### §. III.

Immiscuit seque quoque phantasia, quæ Cometarum faciem pictam horridam, ac si barba & cauda essent instruti, & nescio quanam in figura appearant. Major vero Physicæ cultura phenomenonorum illorum in celo nexus docet naturalem, ut non major inde metus locum habeat, quam si quis tempore vespertino solem viderit occidentem, vel tempore nocturno illum esse absentem noverit.

#### §. IV.

Deficit inde quoque experientia, cometarum apparitiones fuisse malorum in mundo obvenientium indicia, atque documenta omni

D 3

excep-

exceptione majora, imminere orbi pericula graviora, & licet ab illis, quando in coelo apparuerunt, sive bella, sive annonam, sive mortem Regum & Principum subfuisse, compertum sit, fallaciam tamen cause non causæ hic adesse, eademque singularia circa cometarum apparitionem esse infusa, adeo, ut non defecerint in probando, qui bona post apparitionem Cometarum esse observata, probare annisi sunt.

### §. V.

Allegare adhuc possemus, omnia isthæc maxima cum incertitudine esse coniuncta, nec adeo merui ansam præbere posse. Dum enim cometæ uno tempore multis populis apparent, impossibile plane esse, ut quis definire possit, ad quos populos, ad quam regionem, cum apparitione secundum opinionem vulgarem coniunctæ pœnitent.

### §. VI.

Adsum vero etiam varia argumenta, quæ metu istum, appetitus Cometus, pro legitimo declarant. Adstruunt enim esse Cometæ ad phenomena illa referendos, quæ Majestatem & iram Divinam annuntiare hominibus deberent; sed quanquam omnino Cometæ ad documenta Omnipotentia & Omniscientia Divine pertineant, nobis tantum de metu illo servili sermo, qui, quoniam intempestivus, abesse omnino etiam deberet.

### §. VII.

Sit ita, pergunt, qui Cometæ mala semper præfigire, afferunt, quod non in hoc vel illo loco Cometarum conspicutus funesta intulerit, quis afferere tamen poterit, quod non alibi vindicta divina severitatem suam exercuerit; sed unicuique facile constabit, confidere assertionem illam in meritis conjecturis, quæ fidem historicam prægravant, non vero roborant; In quibus jam subsistimus.

## T A N T U M.

NOBI-

*NOBILISSIMO ATQUE  
DOCTISSIMO  
DOMINO RESPONDENTI,  
AFFINI SUO LONGE CHARISSIMO.*

*S. P. D.*

**JOANNES CHRISTOPHORUS HEINTZE,**  
Med. Doctor, & Seren. Ducis Regnantis Consilia-  
rius Aulicus.

**S**Ic & Tu laudatissimo Tuo exemplo af-  
fertum illud roboras, quod virtus latere  
plane nequeat, sed data quavis occasione  
in publicum prodire gestiat. Specimen enim,  
quod edis, eruditionis Tuæ testis omni exceptio-  
tione major, hac de re satis superque testatur.  
Non possum igitur non, quin pro eo, quo Te  
Prosequor attiore, Tibi de hocce doctrinæ Tuæ  
documento animitus gratuler, DEum etiam  
Precibus defatigare non desistam, ut conatibus  
Tuis laudatissimis ex alto benedicat, studiisque

Tuis,

Tuis majora indies largiatur incrementa , ut  
optatum eorundem finem felicissime assequa-  
ris ; Ecclesiæ uberrimo cum fructu atque emo-  
lumento aliquando inservire valeas ; & Fami-  
lia maxima semper exinde percipiat gaudia

Vale, Scrib. Gustrov : d. 7. Junii.

MDCCXXXVII.

Mary D'Esq; & Secr; Mrs H. B. Gurney's Countess.  
Mrs A. Miller.



Rostock, Diss., 1736-38

f



V018

5b.





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow


Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13



Q. D. B. V.  
UBIA  
AM PHYSICA  
A EORUNDEM  
EVOLUTIONEM,  
PRÆSIDE  
RGIO CHRISTOPH.  
HARDINGIO,  
EDICINÆ DOCTORE, HUJUSQUE  
ORE PUBLICO ORDINARIO,  
fratre Germano,  
STRIS AD VARNUM  
ACADEMIÆ  
TORIO MAXIMO  
UNII A. O. R. MDCCXXXVII.  
SQVISITIONI SUBMITTIT  
OR & RESPONDENS  
UG. DETHARDING,  
TOCH. MEGAPOLIT.

OSTOCHII,  
COBI ADLERİ, SERENISS. PRINCIPIS  
ACAD. Typographi,

Vol. a N° 3.  
10

17374;